



P R Æ F A T I O.

INTER doctrinas, quibus Chirurgiæ tyrones iniciandi sunt, eminet illa, quæ corporis humani compagem in suas, quibus artificiose constructum est, partes dissolvit. Hanc artem anatomien dicunt; hæc sola est, quæ chirurgus nobilem illam inspirat audaciam, qua cultrum in hominum salutem impavide applicat, quem anatome destitutus, aut timidus, aut temerarius in hominum viscera perniciose immisisset.

Verum: quam utilis ac necessaria, tam difficilis hæc est scientia, ingens etenim & memoriam defatigans, est numerus, quibus corpus nostrum miro artificio contextum est partibus; hæc raro conspicui, rarius adhuc, quod tamen requiritur, propria manu diffecari possunt. Auget difficultatem rei quandoque is, ex quo anatomien discant, libellus, qui sæpe hic deficit, ibi abundat, nullo ordine rem persequitur, aut ita describit partes, ut errores magis, quam cognitiones pariat. Accedit: quod ampliora anatomies opera parari sibi non possint a plurimis, qui ad chirurgiam animum applicant, cum egestatis maximam partem sint filii. His de causis contingit, quod multi anatomiam vel negligant, vel spe sua dejecti, chirurgiæ valedicant, aut quos fors ad eam damnaverat, ex ob-

vio quocunque opusculo, licet erroneo, eam ad-
discant.

His malis ut mederer, opusculum hoc anatomi-
cum congesti, quod primas solum lineas anatomes
complectitur; ampliorem singularum partium
descriptionem viva docentis vox, ac ipsa partium
contemplatio suppeditabunt. Naturam qui nosse
cupit, in theatris anatomicis quærat, non in li-
bris. Demum anatomiam expositurus, singulam par-
tem non solum anatomice, sed & physiologicæ, & pa-
thologicæ considerabo. Sic auditorum meorum atten-
tionem acere, & utilitatem, quæ inde in praxim re-
dundat, ostendere omni opera conabor, ne illis labor,
quem anatomiam impendunt, sine præmio videatur.

Tyrones demum his primis anatomes lineis
bene imbuti, immortalia WINSLOWII, ALBI-
NI, HALLERI, MORGAGNI, MEKELLII,
ZINII, HUNTERI, WEITBRECHTII,
WALTHERI, LEBERI, & aliorum opera anatomi-
ca uberrimo cum fructu, & minori cum difficultate
perlustrare valebunt.

Denique in gratiam, & utilitatem auditorum
meorum hæc anatomes rudimenta a me compila-
ta sunt, ut iis veluti filo ad prælectiones meas hi-
utantur, qua de re benevolus lector exactam ana-
tomiam, qualem scribere mens mea nullatenus
fuerat, nec hic quærat, nec desideret.



Handwritten notes in the top right margin of the adjacent page.

P
ANA

DE AN
ANATOMIA
Suarum
Hæc scientia

I. et
II. —
III. —
IV. —
V. —
VI. —
VII. —

DE PA
C

Corpus huma
SOLIDÆ par
& Cartil
& om

Omnes par
FIBRÆ su
particu
ponantur